



## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Ioannis S. R. E. Cardinalis Bona Opera Omnia**

Tribus Tomis comprehensa

Opuscula Spiritiva - I. Horologium Asceticum. II. Principia Vitae Christianae. III. Manuductio ad Coelum. IV. Via Compendii ad Deum. V. De Sacrificio Missae. VI. De Discretionem Spirituum ... Operum Eminentiss. Cardinalis, Tom. I

**Bona, Giovanni**

**Parisiis, 1677**

§. 40. Quis sit modus fraternae dilectionis

**urn:nbn:de:hbz:466:1-9969**

Charitas, perfecta justitia, quæ tunc maxima est in hac vita, quando pro ipsa contemnitur vita.

§. XL. *Quis sit. modus fraternæ dilectionis.*

**M**odus amandi proximum duobus præceptis continetur: Alteri feceris, quæ tibi vis fieri: Alteri ne feceris, quæ tibi fieri non vis. Serio igitur in conspectu Dei debet unusquisque examinare, quidnam sit quod ab aliis sibi fieri vel non fieri velit: & si ipse à nemine sperni, si cæteros sibi compati, suosque defectus patienter ferre, & bene de se loqui optat: hæc eadem officia illis præstabit. Cordis perversi indicium est, cum aliis ea facimus, quæ pati ab illis nolumus. Verus Christi discipulus mores aliorum non disquirat, sed eorum discussionem illi committit, cui Pater dedit omne iudicium. Propria mala cognoscere satagit & his extirpandis incumbit. Se solum districtè iudicat, quem omnium pessimum credit. Semper animo tranquillo est, quicquid viderit vel audierit: nam si bonum illud fuerit, Deum collaudat: si malum, vertit illud in bonum, mentem ab eo avertens & ad Deum elevans, idque pacificè absque ulla anxietate & commotione. In corrigendis aliorum vitiis, si ipsi ex officio incumbat, vel fraternæ correctionis præceptum urgeat, zelum habet suavem, benignum & alienæ infirmitati compatiens: contraria enim charitati est omnis acerbitas & perturbatio. Excusat, si potest, quæ minus rectè ab aliis sunt, & abstinere à censurâ: scit enim res humanas hujus conditionis esse, ut nihil adeò sanctum sit, quod aliquâ ex parte damnari non possit, si velit homo censuræ suæ laxare habenas, & quicquid occurrit in deteriorem partem interpretari. Vitia sunt ubi sunt homines, à quibus summam exigere perfectionem nihil aliud est quam sub specie zeli propriæ impatientiæ blandiri, quæ nihil inordinatum, aut molestum potest in aliis tolerare. Nunquam proficiet, qui in vitâ aliorum iudicandâ occupatur.